


Nos Gustavus Adolphus, dei gratia, Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Rex ... per ullos Polonici juris ...



SOT // Utbrutna ligg. fol. extra stort format / Kungl. förordningar

Tillkomstår 1628
Digitaliserad år 2016

NOS GUSTAVUS ADOLPHUS, DEI GRATIA, SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUMQUE REX,

MAGNVS PRINCEPS FINLANDIÆ, DVX ESTONIÆ & CARELIÆ, NEC NON INGRIÆ
Dominus, &c. &c. Significamus tenore presentium, uniuersis & singulis, quorum interest, quod cum publicè constet, hætenus mandatis nostris seuerè prohibitum fuisse, ne quis in Nostri præiudicium, per ullos Polonici juris portus, professos eosdem hostes Nostros, quâcunq; virium aduectione obfirmaret; nisi & seipsum & fortunas suas, spontaneo interceptionis periculo subicere vellet: Reperiri tamen quosdam, qui id de solâ urbe Dantiscanâ interpretati, neglectis interdictorum Nostrorum miris, illicitè in Curlandiam, portumq; Memelensem navigationi adhuc indulgere præsumant. Etsi igitur pro communi gentium Regioq; jure Nostro, eam in contravenientes multam, absq; ulteriori cautionis beneficio statuere possimus, quàm spontanea tentationis audaciâ elegerunt: ne tamen quisquam ulla juris specie conqueri possit. sibi non satis sufficienterq; cautum fuisse, quò minus in tale periculum incideret: Vigore harum omnibus & singulis, cuiuscunq; nationis aut conditionis fuerint, qui Baltici maris commerciis utuntur, ex abundanti prospectum volumus, ne ejusmodi, in posterum, cum ad urbem Dantiscanam, sine speciali indulto, tum præcipuè Memelam, Liboviam & Windoviam, ceterosq; Curlandia portus, navigatione, tantò inexcusatiùs sibi damnum accelerarent, quantò ejus intermittenda jam sapiùs moniti fuêre. Præterquam enim quod eorum locorum frequentatio magnâ virium accessione hostes in Nostri exitium exacuit; etiam vicinarum utrinq; civitatum, Rigensis & Regiomontana, ab antiquo quaesitis Privilegiis, è directò adversatur, quò minus, si maximè placeret, in ullius gratiam concedi possit. Quoniam itaq; insuper minimè recusamus, quin eadem illa commercia, qua specialibus Privilegiis è Ducatu Curlandia, utrinq; & Rigam & Regiomontum restricta sunt, tam à Curlandis ipsis, quam aliis omnibus peregrinis, ad hæc duo loca liberrimè exerceantur: Idcirco si quis reliquos illos supra prohibitos portus in posterum visitando, & navis & mercium confiscatione intercipiatur, id non defectui cautionis Nostre, sed propria sua temeritatis experimento adscribat. In cujus rei fidem presentes manu Nostra subscriptas, Sigillo Regio communiri iussimus. Actum in Castris nostris ad Dirshaviam die 22. mensis Julii, Anno M DC XXIIIX.

Gustavus Adolphus.

L. S.

NOTIUS GUSTAVUS ALPHUS DEI GRA
IN RE SVETICORUM CATHOLICORUM V. DALORUMOVE REX

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text appears to be a formal document or decree, possibly related to the Swedish crown mentioned in the header.

Gustavus Alphus

A-2